

quat. » et c. III. eod. statuitur: « ut unusquisque res, quas post dies consecrationis adquisierit occasione Ecclesie, (uti bene observat Glossa ibid. §. *Acquisierit.*) propriæ Ecclesie relinquat. » c. *Cum in officiis* 7. et c. *Relatum*. 12. *de Testament.* ordinatur, « quod ipsorum clericorum bona, intuitu beneficii acquisita penes Ecclesiam debeant cuncta remanere, » ita ut hæredes eorum nec ex testamento nec ab intestato quidquam inde acquirere valeant. Idem habetur de episcopis c. 1. eod. Ex quo manifeste patet clericos, neque in bona ab Ecclesie bonis distincta, et sibi acquisita aliquod habere dominium, hoc ipso, quod nec de iis testari, nec in eis hæredes ab intestato succedere valeant. Nam si præfata bona proprie ad clericos spectarent, hique illorum haberent dominium, injuriam eis faceret Ecclesia, potestatem testandi adimendo, cum hæc potestas de jure et æquitate naturali cuius competat: « Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis liberum, quod iterum non redit, arbitrium, iis, relinquatur, disponendi de bonis suis. » I. I. c. *de Sacrosanctis Eccles.* Unde æquitati huic conformiter, c. *Quia nos*. 9. *de Testament.* liberrima testandi conceditur potestas clericis de bonis suis, quorum dominium habent. Quia potestate qua carent circa bona superflua ecclesiastica, signum evidens est non esse bona sua, seu ipsorum, nullumque eis in illa competere dominium.

36. *Quia hoc esset in damnum ecclesiarum.* — Pariter faceret Ecclesia injuriam hæredibus ab intestato succedentibus, adimendo eis ea, quorum dominium ad clericum consanguineum spectabat, et in quæ succedendi ipsi jus habent. Nec enim juvat dicere hæredes succedere ab intestato non posse, quia præfata bona tenebatur clericus in pias causas erogare. Nam contra est, quod clerici juxta doctores primæ sententiæ, tantum ex charitate, vel religione; non item ex justitia id facere tenebantur consequenter ex justitia adhuc pertinent ad hæredes, et penes eos jus adhuc remanet, quo illos propter obligationem ex virtute charitatis dictis bonis inherentem, privare non potest Ecclesia, sicut juxta ipsos etiam adversarios privare non potuisset, si memorata bona eisdem in vivis clericis donasset, non obstante, quod contra virtutem charitatis vel religionis egisset.

37. *Uti probatur a pari.* — Probatur ulterius ex jure novo, quod clerici bonorum su-

perfluorum, intuitu beneficii sibi acquisitorum, dominium non habeant, ex eo, quod præfata bona etiam jure novo, uti in antiquo vocentur, « Res Dei patrimonium Jesu Christi, etc. ut patet ex c. *Cum secundum*. 10. *de Præbend.* ibi: « De patrimonio Jesu Christi, » et c. *Cum ex eo*. 34. *de Elect.* in 6. uti Bonifacius VIII. de redditibus clericorum intuitu Ecclesie acquisitis conqueritur, quod multi de patrimonio Jesu Christi sint sublimati. Et novissime ex concilio Trident., sess. 25. *de Reformat.* e. 1. ubi prohibet, nec ex redditibus ecclesiasticis consanguinei ditentur, quia *Dei sunt.*

38. *Solvuntur textus, quibus dicitur clericos facere fructus suos.* — Probant ulterius sententiam suam ex sanctis Patribus, ex quibus unicum brevitatis gratia adducere placet sanctum Bernardum, qui diu post divisionem vivens, ita de bonis clericorum, intuitu beneficiorum acquisitorum loquitur: « Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est. » Atqui si ipsorum non est, et retinentes rapinam committunt, eorum dominium non habent, uti cuius consideranti patet. Pariter loquuntur alii sancti Patres. Nec valet, quod dicant sancti Patres, ex pia quadam exaggeratione loqui. Nam e contra est, tum quia injuria videtur fieri sanctissimis simul ac doctissimis Patribus dicere de eis, quod in re maximi momenti, et ubi agitur de periculosissimo, eodemque gravissimo conscientie onere, loquantur exaggerative; tum quia idem dicuntur jura antiqua et nova uti patet ex c. IV. h. t. ubi, sicut in aliis locis fures vocantur clerici, bona ecclesiastica male impendentes. Hinc etsi dato non concesso aliqui sancti Patres exaggerative loquerentur, dicere saltém non possunt adversarii, quod jura, canones, et leges ecclesiasticæ exaggerative loquantur; cum juxta illud receptissimum Glossæ, in c. *Solitæ* §. *Tanquam de Majorit. et obedient.* « Nulla dicitio debeat vacare in lege aut decreto, alioquin frustra membranas occupat. »

39. *Respondetur ad bullam Julii III.* — Confirmatur, quod etiam post divisionem clericis non sint domini superfluorum bonorum. Clerici juxta ipsos etiam adversarios, ante divisionem non fuere domini; ergo nec post illam. Probatur consequentia. Pontifices nec potuerunt nec voluerunt mutare naturam bonorum ecclesiasticorum, et transferre eorum dominium cum gravi, ac communi ecclesiarum

gravi detrimento: atqui pontifices mutando naturam dictorum bonorum, et transferendo eorum dominium, grave damnum intulissent Ecclesiis, et causis piis; ergo. Major quæ primam partem, quod non potuerint, probatur; quia, quamvis eisdem plena de beneficiis disponendi competat potestas c. *de Præbend.* in 6. tamen eadem cum ecclesiarum præjudicio abuti non possunt; uti communiter fatentur doctores. Quod vero non voluerint, inde constat; tum quia nequiquam supponere, ac præsumere licet, summos Pontifices per suas dispositiones id velle, quod in grave præjudicium ecclesiarum esse aperte dignoscitur; tum quia « actus operantium non operantur ultra finem eorum; » atqui Pontifices per divisionem bonorum ecclesiasticorum solummodo intenderunt evitare scandala, rixas, ac dissensiones inter episcopos, capitula, et clericos hinc inde exorta, quod episcopis solis dispensatoribus existentibus, bona ecclesiastica per sepe indebite fuerint distributa, cui malo occurrere Pontifices constituendo plures dispensatores optime ac sufficientissime potuerunt, etsi hujusmodi dispensatoribus nullum jus in bona dispensanda tribuerent.

40. *Et ad argumentum ex ratione propositum.* — Minor vero, quod videlicet Pontifices per divisionem bonorum mutando naturam, et eorum transferendo dominium, grave, idemque commune damnum et præjudicium causassent Ecclesiis, ex hoc ipso liquet, quod quivis clericus bona superflua ecclesiastica, quæ prius ad Deum, causasque pias pertinebant, et non nisi pro illis applicari poterant, pro libitu ad causas profanas saltem valide, et sine ullo restitutionis onere expendere, indeque grave damnum Ecclesiis, causisque piis inferre posset, hoc ipso, quod cuncta illa bona dictis causis piis in perpetuum decedant, quæ a clericis profane expenduntur; et quæ dominio non translato ad ipsarum utilitatem fuissent expensa. Nec juvat, quod clerici saltem licite non possint dicta bona ad causas profanas expendere, sed teneantur illa in pias applicare; quia non obstante hac obligatione, præfatum præjudicium non evitatur; teste etiam ipsa experientia, qua videmus, quod cum maximo, ac continuo ecclesiarum, causarumque piarum præjudicio bona ecclesiastica superflua ad causas profanas expenduntur a clericis, non obstante, quod certo sciant se id sine peccato mortali facere haud posse.

41. *Solvitur alia instantia.* — Hinc sicut a pari dici non potest, non fiet præjudicium illi, cui quis aufert rem, sive dominium, ac proprietatem, illudque cum potestate libere de illa valideque disponendi alteri tradit, etsi eidem simul obligationem imponat, vi cujus non nisi ad utilitatem illius, cujus res est ablata, rem traditam licite applicet: ita etiam dici non potest factum non fuisse præjudicium Ecclesiis, aut causis piis, si ab eis Pontifices dominium bonorum superfluorum abstulissent, illudque clericis cum potestate libere de illis, valideque disponendi tradidissent, etsi cum obligatione adjuncta fecissent, quod præfata bona non nisi ad utilitatem causarum piarum licite expendere valerent; præsertim, si finem pro bono communi tunc intentum, etiam absque domini translatione, et inde subsequenti ecclesiarum præjudicio habere potuerunt.

42. *Quare toleratur, et non rescinditur contractus clericorum de bonis superfluis facti?* — Ad fundamenta doctorum primæ sententiæ, et quidem ad primum ex jure deductum, ac n. 24. allegatum respondent doctores sententiæ secundæ, distinguendo consequens: ergo clerici debiti præsentibus faciunt fructus suos, et acquirunt dominium illorum, qui sunt necessarii pro honesta eorundem sustentatione, conceditur: illorum, qui sunt superflui, negatur consequentia. Quæ responsio plane contemnenda non est; tum quia per illam facillimo negotio solvunt principale adversariorum fundamentum ex jure, et concilio Trident., loc cit. desumptum; tum quia conformis est sacris canonibus, dominium necessariorum sustentationi, ubique concedentibus clerico; tum etiam quia per illam absque omni absurdo optime concordantur jura juribus ad intentionem c. *Cum expediat*. 29. *de Elect.* in 6. simulque evitatur grave ac commune ecclesiarum, causarumque piarum præjudicium, aut damnum, prout consideranti etiam adversario patet.

43. *Dominus bonorum superfluorum ecclesiasticorum Christus est.* — Ad bullam Julii III. Resp. eam pariter de bonis necessariis, non item de superfluis, necessariæ sustentationi loqui: vel si loquitur etiam de superfluis, intelligenda est in casu, quo fructus ecclesiastici superflui pecuniarii commiscerentur aliis pecuniis clericorum, ubi per accidens, per commixtionem nempe, acquirunt dominium pecuniarum de novo admixtarum; non vero quasi per factam a Pontificibus divisio-

nem honorum ecclesiasticorum, eisdem dominio competeret; cum non obstante tali dominio, commixtione per accidens acquisito, adhuc teneantur ex justitia, dicta bona superflua in causas pias erogare; simulque dominio eorum careant in casu, quo aliis pecuniis ipsorum non commiscantur; ut proin absolute loquendo bene dicatur, quod non sint domini bonorum superfluum; cum mere per accidens sit, quod hæc necessariis commisceantur. Sicut a pari, licet depositarius, tutor, curator, fur, etc. si pecunias depositas vel pupilli, aut minoris, vel furto ablatas commiscant propriis pecuniis, acquirant dominium, evadantque domini illarum, tamen absolute loquendo, non dicuntur domini, nec habere dominium illarum, eo quod non per se seu per ipsam depositionem, tutelæ, ac curatoris officium, vel furtum dominium illarum acquirant, sed per accidens, quatenus nempe commixtione pecuniæ alienæ cum propria acquiratur dominium ejus, manente obligatione ex justitia tantundem restituendi, quantum in simili casu de alienis pecuniis commixtum est propriis. Quod autem bulla de dicto commixtionis casu intelligenda sit, patet ex verbis ipsius Pontificis, ibidem ita loquentis: « Si ad eos pervenerunt, et cum aliis ipsorum beneficiorum fructibus commixti sunt: » ubi, ut vides, non sufficit ad dominium superfluum acquirendum, quod ad clericos pervenerint, sed et « quod fuerint commixti » propriis clericorum pecuniis; quia dictio et regulariter copulativa est, ac conjunctiva. l. *Si quis ita*. 129. ff. de V. O.

44. *Probatur a simili.* — Et per hoc patet etiam responsio ad probationem ex ratione desumptam, ejusdemque confirmationem n. 23. et 27. propositam, quod videlicet per accidens, commixtione nempe, acquirant dominium, dicanturque domini superfluum: manente obligatione ex justitia dicta bona in causas pias erogandi; quam obligationem sed etiam adversarius fatetur Layman, qui dictum ex ratione desumptum argumentum alias contra doctores secundæ sententiæ proponit.

45. *Quare bona ecclesiastica vocentur patrimonium pauperum, et dicantur pertinere ad jus sacerdotum vel Ecclesiæ?* — Ad probationem n. 28. propositam negant doctores secundæ sententiæ minorem, videlicet, quod sine manifesto, ac sufficienti fundamento imponant onus et obligationem ex justitia, superflua

profane expensa iterum ad causas pias restituendi. Eapropter etiam ad Regulas jur. in 6. adductas, negant suppositum, quod versemur in obscuris, vel in pari causa.

46. *Sententia negativa agnoscitur probabilior.* — Sed objiciunt doctores primæ sententiæ ulterius; summi Pontifices, alique superiores ecclesiastici validos agnoscunt, hoc ipso, quod non rescindant, sed tolerant clericorum contractus de redditibus ecclesiasticis superfluis factos; ergo etiam agnoscunt clericos habere eorum dominium: secus enim hujusmodi contractus utpote cum injuria domini pecuniarum, sicque injuste factos tenerentur irritare ac rescindere. Resp. negando ant. eo quod contractus hujusmodi a superioribus ecclesiasticis non ideo tolerantur, quia validos eosdem agnoscunt, « cum multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari: » c. *Cum jam dudum*. 18. de *Præbend.* Sed ideo tolerant, et non rescindunt; quia difficillimum, litiumque continuarum occasio foret, velle semper examinare, an hic, vel ille contractus clerici de bonis mere ecclesiasticis superfluis, an vero de necessariis, aut patrimonialibus, consequenter valide vel invalide factus sit.

47. Objiciunt adhuc: Non potest ostendi, sub cujus dominio existant bona ecclesiastica superflua, vel quinam eorum dominus sit, si clerici eorum dominium non habent; ergo. Resp. negando ant. Quia Dominus eorum optime dicitur esse Christus, non quidem universali illa ratione, qua *Domini est terra et plenitudo ejus*. Psalm. xxxiii. 1. sed speciali, et quidem hac; quia eidem, ejusque intuitu offeruntur, ac sub nullius alterius dominio existunt. Et ob hanc rationem toties in jure vocantur *Patrimonium JESU Christi*, uti c. *Cum secundum*. de *Præbend.* c. *Cum ex eo*. 34. de *Elect.* in 6. eadem ratione dicuntur *Res Dei*, concil. Trident., sess. 23. de *Reformat.* cap. 1. Item *Pecunia Christi*, can. 1. caus. 12. q. 2. ibi: « Qui Christi pecunias aufert, fraudat, et rapit. » Hinc etiam can. *Nulli*. eod. caus. et q. universaliter asseritur: « Omne, quod Domino consecratur (id est, donatur, ut explicat Glossa, hic *¶. Consecratur*) domino erit, et ad jus pertinebit Sacerdotum (intellige quoad necessaria, vel ad jus disponendi, juxta hactenus dicta) propter quod, etc. qui a Domino, cui competunt, aufert, invadit, vastat, vel eripit, ad restitutionem etiam sub excommunicacione tenetur. » Abbas, in c. *Cum secundum*. 16. n. 4. de *Præbend.* et alii.

DE CLERICORUM OBLIGATIONE EROGANDI BONA ECCLESIASTICA SUPERFLUA IN CAUSAS PIAS, PAUPERES PRÆSERTIM, UBI ETIAM DE HONESTA SUSTENTATIONE CLERICI.

51. *Clerici graviter tenentur superflua in pias causas erogare.* — Queritur I. An, et quo jure teneantur clerici bona superflua ecclesiastica erogare in causas pias? Resp. I. Clerici beneficiati omnes tam majores quam minores, nullo nec episcopo excepto gravissime sunt obligati cuncta bona ecclesiastica superflua, seu redditus beneficii superfluos erogare in causas pias, pauperes præsertim, ita ut toties peccent, quoties de præfatis bonis aliquid in causas profanas expendunt, sive dicantur et sint domini dictorum bonorum, sive non. Ita certa ac indubitata omnium doctorum tam theologorum quam canonistarum, ac etiam sanctorum Patrum. ut proin probatione non indigeat; « Cum eam (sunt verba eminentissimi cardinalis Sfondrati) omnes Patres, omnes canones, omnes leges divinæ, et humanæ, ac denique omnes theologi uno ore profiteantur, adeo ut hæc doctrina non pertineat ad illas sententias, quæ problematicæ sunt, et in utramque partem disputantur; sed ad eas, quæ dogmaticæ sunt, nullumque ambigendi locum relinquunt, et in quam omnes doctores nullo excepto conveniunt. » Et quidem sancti Patres quod attinet, « nihil firmiter ab eis creditum, nihilque sapius, ac innixius inculcatum, quam, quæ viris ecclesiasticis, de fructibus beneficiorum supersunt, non posse in causas profanas, dilandosve consanguineos, sed in solos pauperum usus, causasque pias impendi. » Laudatus pergit eminentissimus Sfondrati: Sacros canones si spectemus, « nihil frequentius, nihilque clarius, quam hoc ipsum inculcant; adeo ut fateri oporteat aut nihil sacros canones probare, aut nihil magis probare, quam conclusionis tenorem. » Idem dicit eminentissimus Sfondrati eandem doctrinam semper tenere concilia, ut Hispanense, Carthaginense, Toletanum, Aquisgranense, Lateranense, Tridentinum, etc. Hinc doctores, theologos, et canonistas conclusionem tenentes specificè allegare operosum nimis ac superfluum foret, hoc ipso, quod eam tradant omnes quicumque de hac materia tractant.

52. *Etiam si dicantur domini bonorum ecclesiasticorum superfluum.* — Dicitur notanter

fione tenetur. » Abbas, in c. *Cum secundum*. 16. n. 4. de *Præbend.* et alii.

48. Et sane minari non debent adversarii, quod doctores secundæ sententiæ, quædam bona, superflua nempe ecclesiastica, constituent extra omne humanum dominium, eorumque dominium, solum Deum asserant; quia idipsum fateri et ipsi debent de bonis ad fabricam, ornatumque ecclesiarum proprie designatis; cum enim hæc bona non sint in dominio laicorum, uti certum est; nec clericorum, utpote qui juxta omnes adversarios, illorum tantum dispensatores existunt; neque dominus eorumdem sint ipsi lapides et ligna, seu materialis Ecclesia: consequens est præfata bona in penitus nullo hominum, sed solius Dei, cui et intuitu cujus offeruntur, dominio existere.

49. Nec refert, quod bona ecclesiastica in jure subinde etiam vocentur *Patrimonium pauperum*, can. 59. caus. 16. q. 1. non nunquam vero dicantur pertinere ad Ecclesiam c. iii. h. t. Subinde ad *jus Sacerdotum*. can. *Nulli*. 3. caus. 12. q. 2. quia uti bene post Innocentium observat Abbas, in c. *Cum esset*. 10. de *Testament.* n. 29; Navarrus, de *Reddit. eccles.* q. 1. mon. 21. n. 3. et 4. Jura intelligenda sunt, bona ecclesiastica esse *Christi* quoad dominium, *Sacerdotum* quoad dispensationem, et administrationem, *Ecclesiæ* vero et *pauperum*, quatenus ex intentione petentium, et voluntate Dei: pro Ecclesiæ conservatione et ornatu, pauperum autem necessitate expendi debent. His ac similibus itaque argumentis ac fundamentis probant opinionem suam doctores secundæ sententiæ.

50. Quænam vero ex his duabus sententiis sit vera, quæ falsa, consequenter ex praxi unice tenenda, non facile dixerim: quantum enim prima sententia ob tantam doctorum auctoritatem damnari vix possit, et nosmetipsi in *Theologia* nostra *moralis* tract. VII. dist. 4. n. 28. cum theologis a potiori loquentes, eandem ut probabilior defendimus: nihilominus certum ac indubitatum est secundam longe tutiorem esse ac securiorem, imo etiam juri conformiorem consequenter in praxi cunctis beneficiariis suadendam præsertim cum juris fundamenta, quibus doctores primæ sententiæ præcipue nituntur, a doctoribus secundæ sententiæ juri conformiter faciliter solvantur, uti constat ex dictis n. 42.